



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 108. Alia Sententia contra quemdam Carmelitam nomine Nicolaum Harnoys lata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

§. CVIII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1553.

Alia sententia contra quemdam Carmelitam nomine Nicolaum Harnoy's lata.

Altera censura ferebatur die duodecima Julii, qua Facultas in Sorbonico Collegio congregata Nicolaum Harnoy's Ordinis Carmelitarum prima Doctoratus laurea decoratum interrogare, atque excipere parabat. Jubebatur is comparere, atque ad quæstiones ipsi proponendas respondere ob quasdam propositiones, quas de Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum cultu nec non de precibus pro defunctis enuntiasse accusabatur: igitur Facultas ab eo sciscitabatur, an velit sese illius decreto subjicere? qui respondit: „Volo parere facultati, in quibus teneor, sed quoad negotium præsens vix possum me subjicere vestro judicio, quia estis partium studiosi; his accedit, quod fieret injuria judicibus, qui me tanquam innocentem absolverunt.“

Argentre ib. p. 19. & tom. 2. p. 211.

Cum vero eidem exhiberetur quoddam Scriptum ipsius chirographo munitum, quo sese Facultati submissurum sponderat in quibusdam articulis, in quibus erat ad facultatem delatus, insuper cum interrogaretur, an propriam manum, & propriam syngrapham agnosce-

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.

sceret, respondit: Ego sum horum immemor. Post hæc de pluribus aliis rebus in quæstionem vocatus respondit; rem maturius perpendendi spatium, ne forte fallar, mihi indulgeri postulo: Porro cum in omnibus suis responsis ingentem proderet arrogantiam, ipsamque Facultatem de partium studio suspectam insimularet, seque calumniis opprimi contenderet, Facultatis Decanus pronuntiabat, illum a dicta Facultate tamdiu exclusum iri, donec eidem pareret, quæ etiam sententia ipso præsentente lata fuit.

Postmodum Doctoribus die decima septima Julii congregatis Decanus hæc proposuerat: „Pater Vicarius Ordinis „Carmelitarum, & aliquot alii de dicta „domo venerunt ad me, & petierunt „ut duo ex præfato Conventu Carmelitarum ex una parte, duo autem de „Facultate Theologiæ ex altera eligerentur, & adderetur quintus ex consensu partium, qui quinque determinarent de negotio Harnoy Licentiatum, & decernerent, ac concluderent, an „admitteretur ad Doctoratum.”

Verum Doctores omnem reconciliationis viam inire respuentes iudicio nuper lato institere. Ergo Nicolaus Parisiensi Curia libellum supplicem porrigere cogitur, attamen mox Facultas per

per suum Advocatum opponebat, quod Sæcul. XVI. A.C. 1553.
 ipsamet sui muneris partes integre ex-
 pleffet, rogaretque, ne in hoc nego-
 tio, quod juxta leges, & avitam con-
 suetudinem a Regia Curia approbatam
 decidere vellet, impediretur, quapropter
 Parisiensis Curia Patres hujus causæ
 cognitionem in se suscipere recusabant.

§. CIX.

*Tredecimpropositiones Fratris Ægidii
 Multoris Augustiniani pro-
 scriptæ.*

Die decima quinta ejusdem Mensis Argentre
 Julii Facultas Sorbonnæ rursus con-tom. 1. ap-
pend. p. 19.
 gregata Sacro solemniter peracto trede-tom. 2.
p. 212.
 cim damnabat propositiones, quas Ægi-
 dius Multor Ordinis Fratrum Eremita-
 rum alumnus enuntiasse accusabatur,
 quasque Parisiensis Senatus Facultati
 examinandas committebat. Porro pro-
 positiones erant sequentes. „Homo per
 „solam fidem, non autem per opera sal-
 „vatur. Hæc propositio damnabatur,
 „ut hæretica. II. Nullatenus tuis confide
 „operibus; sola enim fides te salvum
 „facit: hæc itidem doctrina hæretica
 „esse declarabatur. III. Nullum datur
 „meritum in hoc mundo, præter me-
 „ritum Christi: hæc rursus propositio tan-
 „quam hæretica rejiciebatur. IV. Ba-
 ptiza-